

30 (Q. 43, 44) Appendix Missalis

priarum, aliquibus Diœcesibus aut Religiosis Familiis concessarum.

Pro usu hujusmodi Missarum requiritur semper Indultum Apostolicum, et qui tali Indulto non gaudent, proprias Missas dicere non possunt.

Pro Festis hujusmodi quæ præscribuntur in nostra Dicecesi celebranda, in Directorio seu Kalendario additur, die qua celebrantur, nota : In Appendix Breviarii, quæ indicat Officium in Breviario et Missam in Missali esse querenda in hac Appendix.

Hujusmodi Appendix primum reperitur addita Missali sæculo XVI, in editionibus Typographiæ Plantinianæ Antverpiæ et inscribitur cum nota : *Typographus lectori*, in qua dicit additæ fuisse Missas istas post Missale ut plurimorum votis satisfiat. A medio sæculi XIX præsertim a Typographis auctus fuit numerus hujusmodi Missarum specialium.

Q. 43. Quænam particularia reperiuntur addita in ultimis editionibus Missalis Romani ?

R. 1º Præfatio de Nativitate Domini, in tono feriali, dicenda in Missis Votivis de SS. Sacramento et de SS. Nomine Jesu. Cum enim haec Præfatio in Ordine Missæ solummodo in tono solemini describatur, S. Rituum Congregatio, ad commoditatem Sacerdotis Missas Votivas supradictas cantatur, indulxit ut ipsa Præfatio cum suo cantu feriali apponi possit, non quidem in ipso Ordine Missæ, sed « ad calcem Missalis et ultimo prorsus loco ».

2º Orationes diversæ quæ in Missa Præsanctificatorum Feriæ VI in Parasceve, ante detectionem Crucis cantantur. In Missali in Officio hujus diei prima tantum Invitatio ad Orationem reperitur descripta cum notis cantus, pro sequentibus vero notæ non appositæ sunt. Ad majorem celebrantium commoditatem describuntur omnes Invitationes cum cantu : attamen, non in corpore Missalis adduntur, sed tantum ad ejus calcem.

Q. 44. Quænam Missæ ultimo prorsus loco apponi possunt in Missali ?

R. Missæ Festorum quæ in unaquaque Diœcesi ex Indulto Sedis Apostolicæ celebrantur, et plerumque pro Diœcesi tantum, aliquando etiam pro pluribus, aliquando quidem pro tota Provincia concessa fuerunt ;

Rubricæ Missalis Romani (Q. 45) 31

quæ Festa nomen habent : *Festa propria Diœcesis, Festa Diœcesana*.

Hujusmodi Missarum series, separatim excusa, debet muniri speciali impressionis permissione, necnon testimonio concordantie cum originalibus, ab Ordinario loci impressionis datis.

Inscribitur pro nostra Dicecesi : *Missæ propriæ Sanctorum Ecclesiae Metropolitanæ, Civitatis et Archidiœcesis Mechliniensis*.

Impressa reperitur etiam series ex diversis Propriis Diœcesium totius Belgicæ Provinciæ in unum collecta, sub titulo : *Missæ propriæ Sanctorum Belgii*.

Missam Festi alicujus in hoc Supplemento esse querendam, indicat Directorii seu Kalendarii nota : *Officium Diœcesanum*, apposita nomini Sancti cuius Festum celebratur.

§ 3. De Rubricis Missalis Romani

Q. 45. Quomodo præcipue distinguuntur Rubricæ Missalis ?

R. Rubricæ, seu leges præscriptæ pro celebratione Missæ, et aliis sacris functionibus quæ ad Missam referuntur, ita vocatæ, quia rubro colore in titulis et capitibus solent describi (cfr. Tractatus de Officio divino, Q. 3), distinguuntur :

I. In generales, et particulares.

Generales complectuntur eas regulas, quæ generaliter omnibus Missis per annum possunt dici communes, et determinant preces, locum, horam, ritum, induimenta, actiones ac partes Sacrificii, necnon defectus qui in eo occurrere possunt.

Descriptæ sunt in Introductionis Missalis partibus tertia, quarta et quinta, quæ titulos habent : « Rubricæ generales Missalis ; — Ritus servandus in celebratione Missæ ; — De defectibus in celebratione Missarum occurrentibus ». (Cfr. Q. 31.) In præsenti Tractatu exponitur præsertim pars quæ inscribitur « Rubricæ generales Missalis », in quantum agit de precibus in Missa dicendis ; reliquæ partes exponuntur in Tractatu de celebratione Missæ.

Particulares seu propriæ, quæ sparsæ habentur in

32 (Q. 46) Rubricæ Missalis Romani

ipso Missali ad Missas de Tempore et de Sanctis, definiunt quid diversis anni temporibus vel diebus, in peculiaribus Sacrificiis, ex. gr., in Feria IV Cinerum, in Triduo sacro ante Pascha, in Festo Purificationis B. M. V., etc., prætermittendum vel addendum sit.

II. In præceptivas, et directivas.

Præceptivæ illæ Rubricæ sunt, quæ obligant sub peccato, vel gravi vel levi, pro materiae natura.

Directivæ illæ sunt, quæ non obligant per se, sed proponunt instructionem et directionem per modum consilii.

Q. 46. Quænam Rubricæ Missalis sunt præceptivas, et quanta est earum obligatio?

R. Prævalet sententia omnino tenenda, docens Rubricas omnes de agendis intra Missam, ab initio Missæ scilicet usque ad Evangelium ultimum inclusive, esse præceptivas, et non posse, etiam in minimis, negligi, omitti aut mutari, sine peccato, vel gravi vel levi, pro materiae natura.

Quæ vero materia gravis sit, non ex sola quantitate, sed etiam ex qualitate pendet, et in multis casibus definire est difficillimum.

Interim auctores communiter grave reputant : negligere mixtionem aquæ in Calice offerendo, elevationem S. Hostiæ aut Calicis, fractionem S. Hostiæ ejusque commixtionem cum S. Sanguine, purificationem Calicis post sumptionem. E contra, unam vel alteram Crucis signationem, genuflexionem, capitis inclinationem, secluso contemptu, veniale existimant.

Communiter etiam dicunt mortale voluntarie omittere Confessionem cum aliis in principio Missæ ; item Epistolam, vel Evangelium, aut Præfationem, vel Orationem aliquam in Canone, aut eam ita mutare, ut sensus non maneat. E contra, non nisi veniale æstimator omittere Psalmum *Judica*, *Kyrie eleison*, *Gloria*, *Credo*, Præfationem propriam, *Communicantes* proprium, etc.

Denique observant auctores, plures omissiones, singulas non notabiles, in eadem Missa coalescere, et simul sumptas posse constituere omissionem notabilem.

Insuper notandum est Rubricarum vim et auctorita-

Rubricæ Missalis Romani (Q. 47, 48) 33

tem eam esse, ut contra eas, non obstante quacumque consuetudine in contrarium, numquam præscribi possit, ut S. Rituum Congregatio aperte, et quam frequentissime declaravit, dicendo consuetudines contrarias Rubricis Missalis Romani esse abusus, et potius corruptelas quam consuetudines.

Q. 47. Quænam Rubricæ Missalis sunt directivas, et quanta est earum obligatio?

R. Inter Rubricas extra Missam, id est ante vel post Sacrum servandas, variæ sunt directivæ tantum ; quas tamen accurate determinare non minus periculosum quam difficile est ; et sane paucissimæ sunt.

Per se non obligant sub peccato ; sed earum transgressio ratione motivi dishonesti, ex. gr., socordiæ, levitatis, venialiter culpabilis evadere, et ratione contemptus, vel gravis scandali transire potest in peccatum mortale. Quamvis tamen præcepti proprie dicti auctoritate non gaudeant hujusmodi ritus, quivis non indignus Ecclesiæ minister eas ea qua par est prosequetur reverentia, nec ab illis latum unguem declinare studebit, quia maxima cum sapientia a sapientissima Ecclesia ordinatæ fuerunt, ne pro libitu contemnантur.

(Cfr. Tractatus de Officio divino, Q. 7, Nota.)

Q. 48. Quid præscribunt Statuta Diœcesana de observatione Rubricarum Missalis Romani?

R. « **Rubricæ Missalis Romani**, quæ in ipsomet celebrationis actu servandæ præscribuntur, quandoquidem sine peccato, et quidem mortali, si materia sit gravis, omitti aut in alias mutari nequeant, ad amussim observentur, non tantum cum intimo religionis sensu, sed cum externa etiam pietate et gravitate. Id enim, ut verbis utamur Clementis PP. XI, necessario requiritur, ne sacerdos, inter homines Deumque positus ad ipsius iracundiam sedandam, si negligenter immodesteque munere suo fungatur, Deum magis irritet. » (nº 324.)

Juvat quoque hic referre verba Concilii Tridentini (Sess. XXII, Decretum de observandis et evitandis in celebratione Missæ) :

« Quanta cura adhibenda sit ut sacrosanctum Missæ S. LITURG. TRACT. DE RUB. MISS.

34 (Q. 49) Rubricæ Missalis Romani

Sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur, quivis facile existimare poterit, qui cogitarit maledictum in sacris litteris eum vocari, qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa Hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per Sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam appareat omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxime fieri potest interiori cordis munditia et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur. »

Q. 49. *Quis est finis Ecclesiæ in instituendis cæremoniis et ritibus Sacrificii Missæ?*

R. Finis omnium cæremoniarum et verborum, quæ ab Ecclesia (Apostolis eorumque successoribus) instituta sunt in administratione Sacrificii Eucharistici, potissimum duplex est: proxime ut res ipsa essentialis quæ agitur, distinctius declarata velut ob oculos ponatur atque convenienti majestate et externo cultu condecoretur; consequenter deinde ut excitetur et foveatur congruentior dispositio ac devotio in animis fidelium ad cultum Deo exhibendum, et majorem fructum percipiendum. (Franzelin. *De Eucharistia.* Thesis VII.)

Præmissis his Notionibus præviis de Missa, de Missali Romano, et de ejus Rubricis, incipit explicatio Tractatus de Rubricis Missalis Romani, cuius duæ erunt Sectiones, in quarum priore exponentur regulæ servandæ pro diversis Missæ partibus in Missis quæ Officio conformes sunt (cfr. Q. 14); in altera agetur de Missis quæ Officio non sunt conformes (cfr. Q. 17), nempe de Missis Votivis, et de Missis Defunctorum, seu de *Requiem*.

SECTIO I

De Diversis Missæ partibus

Q. 50. *Da brevem conspectum præcipuarum partium Missæ.*

R. Duæ majores distinguuntur in Missa partes: — prior a principio Missæ ducitur usque ad Symbolum, aut Offertorium exclusive, et vocatur **Missæ Catechumenorum** (cfr. Q. 18, 1); complectitur præcipue quasdam precationes et instructiones, et est quasi præparatio ad Sacrificium; — altera est proprie Sacrificium, et vocatur **Missæ Fidelium** (cfr. Q. 18, 2); complectitur præcipue Oblationem, Consecrationem et Communionem.

Hujus antiquissimæ distinctionis adhuc hodieum vestigium patet in Missa solemini seu Pontificali ab Episcopo celebrata: etenim Episcopus, si excipias præparationem ad functionem quæ fit ad pedem Altaris, et Altaris incensationem, priorem partem Missæ, seu Missam Catechumenorum celebrat non ad Altare, sed in sua Cathedra; inde ab Offertorio autem alteram Missæ partem, seu Missam Fidelium peragit in ipso Altari.

In Missa Catechumenorum sequentes succedunt partes:

- 1º Præparatio ad functionem per Confessionem ad pedem Altaris;
- 2º Introitus;
- 3º *Kyrie eleison*;
- 4º Hymnus *Gloria in excelsis*;
- 5º Orationes;
- 6º Lectiones seu instructiones e Scriptura, quibus nomen datur Epistolæ;
- 7º Graduale, *Alleluja*, Tractus, Prosa;
- 8º Lectio ex Evangelio;
- 9º Symbolum.

In Missa Fidelium sequentes reperiuntur partes:

- A. Relate ad Oblationem materiæ Sacrificii:
- 1º Antiphona Offertorii;
 - 2º Oblatio materiæ;